



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 4. Quibus casibus lusor ante omnem sententiam tenetur ad  
restitutionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

positivo graviter vetitus, ut si quis aleæ deser-  
 viat. 2. Si ludenti, vel alius sit occasio proxi-  
 ma peccati mortalis, ut blasphemix, perjurii,  
 fraudum, rixæ, libidinis, &c. 3. Si idcirco  
 negligantur, officia sui statûs, vel muneris;  
 aut omittantur opera graviter præcepta. 4. Si  
 immodica summa ludo exponatur, ita ut reli-  
 qua bona non sufficiant ad sustentandam fami-  
 liam, collocandos filios, ad dotandas filias de-  
 ceenter secundum suum statum, ad solvenda  
 debita, ad dandas eleemosynas, &c. 5. Si in-  
 juria, vel damnum grave alteri inferatur frau-  
 dibus, violentis attractionibus ad ludum &c.  
 6. Affectu ad ludum graviter immoderato.  
*Nam potest esse peccatum mortale propter vehe-*  
*mentiam affectûs ad ludum, cujus delectationem*  
*præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra*  
*Præceptum Dei, vel Ecclesiæ, talibus ludis uti non*  
*refugiat. Ait S. Thom. 2. 2. q. 168. a. 3. De-*  
*nique si quis ludat cum eo qui non potest alie-*  
*nare: nam vult sine titulo justo alienum ob-*  
*tinere, quod est injustum, & cooperatus*  
*injustitiæ alterius.*

*Q. 4. Quibus casibus lusor ante omnem sententi-*  
*am tenetur ad restitutionem?*

*Resp. Ex communi Victor restituere tene-*  
*tur 1. Si victus non habeat rei dominium, & li-*  
*beram dispositionem. 2. Si victor vi, minis,*  
*dolo, convitiis, vel simulatione imperitiæ in-*  
*duxit alterum ad ludendum. Nam fecit ei in-*  
*juriam*

injuriam, eique occasionem damni injustè dedit.  
 Si tamen coactus lucretur, non tenetur resti-  
 tuere lucrum: quia ludus ex parte ipsius est  
 justus, & omnem inæqualitatem circa spem  
 lucri sustulit injuria coactionis, & victus spon-  
 te in hoc periculum se coniecit. 3. Si fraude  
 aliqua contra ludi leges usus sit v. g. Si chartas  
 signo aliquo notaverit, aut per nutus circum-  
 stantium, vel ex industria agnoscat, vel arti-  
 ficiosè ita componat, ut meliores sibi obve-  
 niant, &c. Et tunc tenetur restituere tum id  
 quod lucratus est, cum illud acquisierit per in-  
 juriam: tum etiam id quod alter justè lucra-  
 tus fuisset, nam hæc spes lucri erat pretio æsti-  
 mabilis, & ei per injuriam sublata fuit. Ludi  
 autem leges sunt, quæ vel comuni ludentium  
 consensu constitutæ sunt, vel loci consuetudi-  
 ne receptæ. Quædam tamen fraudes, seu potius  
 astutia, quæ ex communi consuetudine adhi-  
 bentur, & noscuntur adhiberi, non censentur  
 contra ludi leges, nec injustæ, ut si quis sciens  
 se meliores chartas habere, timorem simulet,  
 quo alter ad augendam sponsonem impella-  
 tur. 4. Si victor ante ludum habuerit animum  
 non solvendi, vel si non possit alienare rem  
 ludo expositam aut quidquam amittere; vel  
 si arte ludendi sit notabiliter alteri superior, ita  
 ut moraliter certus sit de victoria. Quia tunc  
 error dedit causam contractui: alter enim non  
 voluit ludere, nisi quia contrarium putavit.  
 Præterea hæc sunt contra justitiam ludi exi-  
 gen-

gentem, ut inter ludentes sit æqualitas moralis in spe lucrandi, & in periculo perdendi: nam hic contractus est utrimque onerosus, non donatio, nec ad remunerandum digniorem, & peritiorem institutus; sed in eo emittitur spes lucrandi periculo perdendi: ideóque requirit æqualitatem inter spem, & periculum. Idque verum est, etiamsi excessus peritiæ unus sit notus alteri; nisi prudenter ex circumstantia censeatur donatio spontanea lucri ex parte minùs periti: nam sicut non sufficit ad justitiam venditionis, si emptor vitium rei nòrit, & rei cupiditate solvat pretium justo majus, quia aliter eam habere nequit, nec donare excessum censeatur: ita in ludo, &c. nisi in æqualitas peritiæ aliundè compensetur. Quamdiu tamen uterque ignorat excessum notabilem peritiæ alterius, lucrum est justum etiam in peritione: quia uterque tunc se exponit periculo perdendi; & sicut lucranti occurrit imperitior, ita poterat occurrere peritior, & sic contractus fuit fortunæ, & ex utraque parte æqualis. Deinde ludentes hoc animo ludunt, ut lucrum retineri possit, dum neutri constat de notabili excessu. §. Juxta varios si victor luserit ex animo repetendi solutum: quia non habebat jus lucrandi, & decepit alterum, qui non voluit ludere nisi supposita spe lucrandi. Qui tamen lusit animo solvendi, potest mutare animum peracto ludo, & solutum repetere in judicio.

Q. 5.